

Dupl

817

R

21
D. D.

SPECIMEN ACADEMICUM,
DE

MOSE
VITULUM AUREUM
POTABILEM

REDDENTE,

Exod. XXXII: 20.

Quod

Ex consensu Ampl. Facult. Phil.

P RÆS I D E ,

VIRO AMPLISSIMO ATque CELEBERRIMO,

**D^{N.} CAROLO ABRAH.
CLEWBERG,**

Græc. & O. O. L. L. PROFESS. Reg. & Ord.

Publicæ benorum censuræ modeste defert

ABRAHAMUS INDRENIUS, Fil.

Tavastensis.

Die XXVII. Junii MDCCCLV. H. A. M. C.

ABQÆ, impressit DIRECT. & Typogr. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB MERCKELL.

5. p.

Viro Admodum Reverendo atque, Praeclarissimo,
DN. G U S T A V O
PACCHALENIO,
Ecclesiarum, quae in Mascu, Rusco & Wahto, Deo
colliguntur, *Pastori & Præposito* longe meritissimo,
Avi loco pia mente ad cineres colendo.

Beneficiorum, quibus, *Admodum Reverende Vir*, me pa-
ternamque domum afficere dignatus es, cumulus fane
ingens, ita me *Tibi* reddidit devinctum, ut omnino
nesciam, quidnam redhostimenti loco tribuere possim.
Deficiunt verba in meritis tuis digno encomio celebrandis,
vires in iisdem rependendis. Ingrati tamen animi notam
vix evitare possem, si favorem venerabunda mente recon-
dens, nullatenus gratitudinem publico elogio declarare co-
narer. Ne igitur miteris, *Vir Admodum Reverende*, quod
leves hasce ingeniali mei primitias, *Nomini tuo* consecrare
ausus fuerim; verum suscipias, humillimus rogo, qualecun-
que munus oblatum, non ob ejus dignitatem aut præstan-
tiam, sed ob sinceram venerationem, qua plenissimum est
peccus offerentis. De cætero Deum T. O. M. ardentissi-
mis compellare precibus non desistam, velit *Te*, quam diu-
tissime adhuc saluum & sospitem servare, canosque, quos
jam attigisti, omnigenæ felicitatis flore cumulare, in sui
Nomini gloriæ, Ecclesiæ commodum, Familiaeque tuae
honestissimæ fulcrum ac solatum. Ero ad cineres

Admodum Reverendi NOMINIS TUI

KANSALLIS-
KIRJASTO

cultor devotissimus,
ABRAH. INDRENIUS.

Viro Admodum Reverendo atq; Praclarissimo,
**D_N. MAG. ANDREÆ
LILIO,**

Pastori in Messeby & Teisco longe dignissimo, Dis-
trictus Tyrviensis Præposito gravissimo, Fauto-
ri quavis veneratione ætatem prosequendo.

Ignoscas, *Adm. Rev.* atque *Præcl. Vir*, quod lineolas ru-
di penicillo conscriptas, *Nomini Tuo* dicatas esse vo-
luerim. Allexit me ad hoc ipsum eximus atque singu-
laris ille favor, quo bonas literas earumque cultores, fo-
les amplecti, cujusque etiam in me perplurima extare vo-
lueristi documenta. Permittas igitur, humillime oro, me te-
nui hoc munusculo devotum erga *Te* declarare animum, re-
verentiamque, quaæ diu in mente latuit, publice testatam
facere. Adspicias serena fronte, incomitas pagellas, in hu-
millimæ atque obstrictissimæ mentis tesseraam *Nomini Tuo*
Adm. Rev. inscriptas. Quod superest, opto, servet *Te* sum-
mus Rerum Stator in annos bene multos, salvum & inco-
lumem, largiatur *Tibi* vires arduos muneri concreciti la-
bores, in Sui Nominis gloriam, perficiendi. Sic Ecclesia de
Te habebit emolumentum, & Familia *Tua* honoratissima gau-
dium perenne.

Adm. Reverendi NOMINIS TUI

cultor humillimus,
ABR. INDRENIUS.

Viro Plurimum Reverendo atq; Praclarissimo,

D_{N.} T H O M Æ
P A C C H A L E N I O ,

Pastori in Wānā meritissimo, Fautori propensissimo.

Viro Plurimum Reverendo atq; Praclarissimo,

D_{N.} L A U R E N T I O
F O R S E L I O ,

Pastori in Ruovesi adcuratissimo, Fautori & Evergetæ omni honoris cultu prosequendo,

UT specimini qualicunque huic Academico Plurimum na, præponere sustinuerim, plurimæ adsuere rationes. effecisse, ut omnis officii, omnisque gratitudinis es tem testamat reddendi dimitterem. Hinc, quo par est ver tores atque Patrue Propensissimi, rudi Minerva elaboratam dem, quo hucusque, amplecti favore. Mearum erit sem sundere calidissima.

Plurimum Reverendorum

humillimus
ABR.

Viro Plurimum Reverendo atq_z Praclarissimo,
**D_{N.} G U S T A V O
ALLENIO,**

Pastori in Cangasala & Cuhmalax meritissimo,
Fautori quavis reverentia semper colendo.

Viro Plurimum Reverendo atq_z Clarissimo,
**D_{N.} I S A A C O
INDRENIO,**

Sacellano & V. Pastori in Walkeala laudatissimo, Patruo,
ut unico, ita singulari pietate ad cineres colendo.

Reverenda Vestra, Fautores atque Patrue Propensissimi, Nomis
Hoc loco sufficit nominasse, favorem Vestrum id apud me
sem immemor, si hanc occasionem piam & gratissimam men-
borum honore, ut & reverentia contendeo, dignemini, Fau-
opellam benigno adspicere vultu, meque in posterum eo-
per partium pro Vesta perenni felicitate vota ad Deum

NOMINUM VESTRORUM

cultor,
INDRENIUS.

Plurimum Reverende atq; Praclarissime,

D_{N.} ABRAHAME
INDRENI,

Pastor Keuruensium meritissime, Parens indulgen-
tissime.

Diem assiduis desideriis saepe exoptatam adesse in sinu
gratulor, qua pietatem in Te, *Parens optime*, publi-
co testari liceat documento. Beneficia quidem, plus-
quam paterna, quibus a Te cumulatus sum, talia sunt, ut
illis compensandis facile intelligam me nunquam fore pa-
rem. Desunt verba, deficit lingua, deest facundia in illis
digne prædicandis; quare etiam præstat ea ipsa pio jam
præterite silentio, quam incomita extollore oratione. Su-
scipias tamen, obsecro, vitulum aureum, destructum, ve-
tri auri loco, levesque has ac immaturas de eodem cogi-
tationes, in filialis reverentia tessera Namine Tuo cohone-
statas, ea, quæ *Tibi* propria est, benigna fronte adspicias.
Quod reliquum est, Deum T. O. M. ex imo peccatore vene-
rari non desistam, velit Te, *Pater optime*, in longam anno-
rum feriem perpetua felicitate ac vigore abunde coronare,
viribusque ad Sacra minera, quæ *Tibi* incumbunt, obeun-
da, fortiter armare. Vivas, vigeas, floreas, in Divini
Nominis Gloriam, Ecclesiæ commodum, nostrumque, quo-
quot tui sumus, gaudium ac solatium jucundissimum! Ita
ex intimis præcordiis voyet

Parentis Indulgentissimi

filius obedientissimus,
ABR. INDRENIUS.

Peregrinie atq[ue] Præstantissime
Dn. AUCTOR & RESPONDENS,

Consobrine exoptatissime.

Ipsa quidem cognatio, Cognate conjunctissime, arcta
nos conjunxit, virtus autem tua infucata hocce
vinculum proprius constrinxit. Quum igitur person-
ticerem, exercitium Tuum Academicum publico ex-
amini esse submittendum, non potui mibi temperare,
quoniam gaudium haud leve, quod exinde percepi, publi-
ce testatum facerem, Tibique, tam de ingenii acu-
mine, quam profectibus pulcherrimis impense gratula-
rer. Pertraclasti in Dissertatione tua argumentum
subtilissimum, quo ipso luculentissime ostendisti, Te ni-
hil neglexisse eorum, quæ sedulum aurifossem decent.
Sicut namque ille non sine multo labore, terram fudit,
in ejus visceribus montiumque cavernis venam auri
perquirit, inventum metallum in lucem profert, igne
purgat, in aurum convertit, atque aurifaci probandum
defert; ita Tu in illustri ad auram aurifodina, cum
cura & sollicitudine auream sapientie venam perqui-
sivisti, in Musarum rupibus invenisti, ad liquidum
ceduxisti, vitium excoquisti, in purum eruditionis au-
rum commutasti, atque jam non aurificis statera, sed
populari eruditorum trutina probandum atque exami-
nandum proposuisti. Perge in hac tua solertia, &
virtu-

virtutem magis magisque sectare. Quod reliquum est,
gratulor progressus tuos Philosophicos, & arduum
Philologiae studium, futuro Theologo multum profu-
rum. Gratulor Parentibus tuis honoratissimis, pre-
claræ indolis filium, Parentis amore & sumtibus sane
dignum. Gratulor cognatis cognatum egregium &
sincerum. Foveat Altissimus conatibus tuis, ut ver-
gant in Sui Nominis gloriam, tuum tuorumque com-
modum. Ita ex animo vovet

TIBI

addictissimus,

GUSTAVUS LILIUS.
Sacell. Cangasalensis.



In Nomine JEsu!

§. I.



Uamquam homo etiam ex lumine naturæ, magnaliumque divinorum, in admirabili hoc naturæ theatro ubique obviorum, pia ac diligentí consideratione certo cognoscere, fortiterque convinci queat, dari ens quoddam perfectissimum atque independens, cui hæc omnia suam existentiam debeant, & a quo dependant: indeque, sana ratione rite adhibita, facile quoque perspiciat, se ad honorem & cultum illi præstandum, ejusque gloriam illustrandam quam maxime esse obstrictum; Nihilo tamen minus ad deteriora semper proni mortales, usu notitiae DEi naturalis paedagogico proterue neglecto, a recto Numinis cultu turpiter aberrarunt, rebusque creatis, tam animatis, quam inanimatis, cultum exhibere non erubuerunt. Alii enim gentilium solem, alii lunam, alii animalia ac serpentes, alii rursus plantas & herbas coluisse traduntur. Sed

A

in

in hac gentium dementia non substitit idolatria; contaminavit se illa etiam, qui tamen melius edo-
 &tus esse debuisset, populus Israëliticus, & a vero DEo,
 ejusque recto ac sincero cultu s^epe defecit. Inter alia
 gravissima peccata, quorum mentionem facit Sacer
 Codex, maxime detestanda fuit illa ipsorum idolola-
 tria, in quam vituli aurei cultu fuere prolapsi, im-
 memores tot feriarum admonitionum atque commi-
 nationum, tot sibi præstitorum beneficiorum, tot ex-
 hibitorum miraculorum ac prodigiorum, idque haud
 pridem in liberatione ex Aegypto & circa exitum ex-
 inde prorsus ^{me}morabilem, nec non transgredientes nu-
 perrime auditam ac promulgatam legem, ad cuius
 normam DEo suo servire deberent. Hujus abomi-
 nandi sceleris succincta narratio continetur Exodi
 XXXII. capite. Cum nimirum Mosis, in monte Si-
 nai degentis, per quadraginta propemodum dies, ab-
 sentia ipsis molesta & suspecta videretur, ad Aaronem
 confluxerunt, flagitantes, ut is DEos conficiat,
 qui sibi præcedant, & fortassis in promissam illam ter-
 ram ducant. Qui voluntati ac desiderio eorum satis-
 facturus, ex inauribus aureis, ex auribus eorum ab-
 ruptis, & ad se allatis, vitulum aureum formavit.
 De modo vitulum conficiendi, non convenit inter
 eruditos, & hac de re pauca dicendi in sequentibus
 dabitur occasio. Cur idolo huic vituli formam de-
 derit Aaron, de eo etiam in plures abierunt senten-
 tias Philologi. Maxima tamen probabilitate se com-
 mendat illa, quæ hujus rei caussam & incunabula
 ex Aegypto revocat, ubi boum cultum usitatum fuis-
 fe

se, (a) Israëlitasque ante egressum suum etiam eos ibi coluisse constat (b) Formato sic vitulo aureo, & a populo magno cum applausu excepto, altare ei exstruxit Aaron, festumque Jehovæ in crastinum diem edixit; quod etiam solemniter, sacrificando, edendo, bibendo atque ludendo celebrabatur. Cum autem Moses a monte rediens, populares suos eo dementiae ac impietatis prolapso inveniret, tabulas testimonii, nuper acceptas, ipsiusque DEi digito scriptas, pio accensus zelo, projecit atque confregit. Deinde virulum aureum arripuit, eumque combussit & in pulverem comminuit, Israëlitisque bibendum præbuit. Qua ratione autem aurum comburere, atque potabile reddere potuerit, & quare illud fecerit, id id ipsum præsentibus hisce lineolis, quo virium modulo, ostendere animus est. Te itaque, Lector benevole, qua par est reverentia, rogamus, velis juveniles nostros conatus, omni svavitate verborumque apparatu destitutos, solaque materiæ elegantia commendabiles, benigna perstringere censura, eodemque me dignari favore, quo etiam cæteros hujuscemodi scriptorum autores nunquam non soles amplecti.

(a) Strabo Lib. XVII. τινὰ μὲν τὸν ὀνόματος κοινὴ τιμῶσιν Αἰγύπτιοι, καθάπερ τὸ πεζῶν μὲν τοῖα, Βέην, κίνα, αἴλερον. Herod. L. II. c. 42. Hesek. XX. 8.

(b) Jof. XXIV: 14.

§. II.

Quo felicior ad ipsam qualencunque tractationem pandatur via, operæ pretium judicamus;

eum e fontibus originalibus sistere, qui citato Exodi
 XXXII. capite, versu 20 sic audit: וַיְחִזֵּק אֶת־הַעֲגָל אֲשֶׁר
 עָשָׂו וַיְשַׁרֵּף בְּאֶשׁ וַיְתַחַן עַד אֲשֶׁר־זֹק וַיַּרְא עַל־פְּנֵי הַמִּים וַיַּשְׁק
 אֶת־בְּנֵי יִשְׂרָאֵל Cumque per magni intersit genui-
 num horum verborum nosse significatum; circa præ-
 cipua, illaque, quæ in sequentibus alicui nobis usui
 sunt inservitura, aliquid notandum erit. Omnia pri-
 mo itaque heic examinari meretur verbum פָּרָשׁ, quod,
 cum פָּרָשׁ sive בְּאֶשׁ constructum, significat *comburere*,
 sive igne cuiusdam rei essentiam *prorsus* penitusque
 destruere. Hoc ipsum facile comprobari potest ex
 collatione locorum, ubi hæc phrasis in Codice He-
 bræo occurrit. Talia sunt Levit. VIII: 17. de com-
 bustione tauri, Jerem. LII: 13. de ædium, Esaj. XLVII: 14.
 de stramine igne combustibili, & quotquot fuerint plura,
 in omnibus illis hæc significatio phrasi isti apprime
 respondet. Quamvis autem de metallis bis tantum
 occurrere sit observatum, loco nimirum, de quo no-
 bis jam est sermo, & qui huic quam proxime con-
 sentit, Deuteron. IX: 21; nihilo tamen fecius eundem
 sensum etiam in hisce locis tribuendum esse asseve-
 ramus, licet non desint illi, qui liquefactionis sive fu-
 sionis notionem adscribendam esse autument (c). Hæc
 vero sententia, quamvis primo quidem intuitu satis
 videatur apta, procul a veritate recedit; nullus enim
 adferri potest locus, ubi פָּרָשׁ significet liquefacere si-
 ve fundere: verum quoties liquefactio & fusio in-
 digatur, exprimitur ea verbo נָסַךְ מַתָּה & סְסָמָם. Si ita-
 que aliud quid præter combustionem hic innueretur,
 necesse est, ut etiam aliud adhiberetur verbum: hoc
 autem

autem cum non videamus factum; nullam etiam vi-
 demus rationem, cur combustionis significatum de
 auro in locis modo dictis deseramus aut damnemus.
 In robur hujus asserti etiam adduci potest Deut. IX:
 21, ubi postquam aurum combustum fuerat, dicitur
 Moses contudisse illud, quod verbo כהן indigitatur,
 si itaque in partes comminutum atque contritum fuit
 aurum, quid opus fuisset fusione aut liquefactione;
 nam aurum ea ratione non fieri fragilius notum est:
 omni itaque fine cartusset atque frustranea fuisset sa-
 pius memorata fusio & liquefactio. Nihil aliud igi-
 tur relinquitur, quam ut comburendi notio, verbo
 נזר propria, sine graviori ab illa discedendi necessi-
 tate, retineatur. Idem etiam svadet ipse contextus,
 & proxime subsequens verbum נספ, quod mox pau-
 cis quoque est attingendum; fusione enim, vel etiam
 liquefactione, aurum commolitioni aptum non redditur.
 Præterea hoc confirmant versiones tam antiquiores
 quam recentiores, quarum nonnullas heic ptoferre
 non erit injacundum. Ita habet Paraphrastes Chal-
 dæus: וְסַבֵּת עֲזָלָה אֶבְרוֹ וְאָקָד בְּנוֹרָה וְשִׁמְעָדָה
 Arripuitque: רְקִין וְדָרָא עַל אֲפִי - פִּיא וְאַשְׁקִין הִתְבִּין יִשְׂרָאֵל
 vitulum quem fecerant, & combustit igne; & contri-
 vit donec fuit comminutum, & sparsit super faciem
 aquæ, & dedit bibere filiis Israël. In hac Paraphra-
 si voces טר & נורא ex asse convenienter cum textu
 Hebræo, nihilque aliud significant, quam quod nos
 jam de verbo נזר & נספ affirmavimus. Versio LXX.
 Senum ita audit: καὶ λαβὼν τὸν μόσχον, ὃν ἐπέισταν,
 κατίκανοντες αὐτὸν ἐπειδή, καὶ κατήλεσσεν αὐτὸν λεπτὸν, καὶ

τοπειρεύσαντος ἦν τὸ ὑδωρ, καὶ ἐπότισσην αὐτῷ τὰς υἱὰς το-
πειρεύσαντα. Versio vulgata sic sonat: *Arripiensque vitulum,*
quem fecerant, combussum & contrivit, usque ad pul-
verem, quem sparsum in aquam & dedit ex eo potum
filiis Israël. Sequitur jam, ut de verbo ἤνθι aliquid
dicatur. Hoc vocabulum nihil aliud denotat, quam
molere sive comminuere, adhibeturque in sacris lite-
ris de comminutione frumentorum (*d*). Et quoniam vis hoc
loco, ut & Deut. IX de metallo idem asserere infor-
mitum quid atque inconveniens videatur, nulla tamen
apparet ratio sufficiens tamque fortis, quæ nos ab il-
la significatione, consentientibus etiam versionibus mo-
do allatis, avertere possit. De sensu verbi ἤνθι non
est, ut multis disquiramus; siquidem ille fatis evi-
denter cognosci potest, vel ex comparatione verbo-
rum cognatorum sive affinium, qualia sunt: דְּבָרַ וְכֹחֶרֶת
& נִנְחָה. Significatio ejus igitur est comminuere, in
minimas tenuissimæque partes contundere. Hujusce-
modi comminutionem heic intelligendam esse, docet
ulterius vox נְפָלָה antea citato Deut. IX: 2. verbo ἤנθι
adjuncta. נְפָלָה dispersionem, & נְמִזָּה anteriorem sive con-
spiciendam alicujus rei partem (*e*) denotare, adeo est
notum, ut hujusmodi leviusculis diutius immorari fru-
straneum videatur.

(c) Maluenda & Menochius in Matthiæ Poli Synopsi Cri-
ticorum. Item Bochartus in Hieroz.

(d) Lev. XI: 8. Efaj. XLVII: 2.

(e) Conferatur de omnibus in hac § citatis verbis Christ.
Stockii Clavis L. S. V. T.

§. III.

Evoluto sic; quantum penes nos fuit, genuino atque proprio verborum textualium sensu ac significatu, magnis nos undique affectos animadvertisimus difficultatibus. Primo enim notum est, aurum ob eximiam, qua gaudet, puritatem partiumque homogeneitatem comburi sive igne destrui haud posse, vel saltim illam artem paucissimis perspectam ac familiarem esse. Ita perhibetur illud a Boyleo in oculum fornacis, ubi calor fuit vehementissimus, positum, per plurimum mensum spatium in igne, qui continuum fluxum causabatur, sine ulla ponderis & qualitatis amissione sive mutatione persistisse. Quomodo itaque Mosen illud combusuisse, & sic potabile redidisse dictu conveniens est? Loquuntur Chemici tam antiquiores quam recentiores de auro potabili: modumque illud solvendi nuper etiam ostendit Hermannus Bœrhauius, (f) qui in eo consilfit, ut aquæ fortis partes quatuor, & salis marini purissimi una, misceantur, illique liqui, qui tam colore gaudet flavo, immittatur auri purissimi lamellati pars una; his deinde in urinali vulgari purissimo supra ignem positis, ut percussant eadem, solvetur aurum. Hoc autem utcunque egregium artificium, quod idem cum textu sacro nulla ratione conciliari possit, impræsentiarum admittere non possumus, neque Mosen eo usum fuisse affirmare. Quomodo enim quæsto combustionis atque commolitionis notio in hoc quadrare potest? Quomodo Sacrae Scripturæ autoritas, simplicitas atque integritas larta tectaque conservari? Idem de pluribus aliis

aliis hoc in negotio inventiculis valere quisque Texum Hebræum inspiciens facile perspicet. Alteram, quæ heic obvia est, difficultatem, pariunt diversæ ac variantes sententiae virorum eruditorum & in republi- ca literaria illustrium. Quidam liquefactione vitulum in massam rūdem & informem fusum, & dein li- ma in pulverem comminutum existimant (*f*). Alii herbae cujusdam, quam tamen non nominant, ope hoc factum fuisse autumant (*h*). Potiores sententias circa hanc rem, cuius eadem sint indolis atque valo- ris, & num illarum aliqua, incolumi manente pro- prietate Sacrae Literæ, recipi & adoptari queat, qua fieri potest brevitate, videbimus.

(*f*) In suis Elementis Chemia Tom. II.

(*g*) Bochartus in Hieroz. P. I. L. II. C. 34. Item Rivetus.

(*h*) Quidam in Boch. Hieroz. loco citato.

§. IV.

SI ex auro & ligno composita fuisset vitulus, tum fortasse aliquo modo verba textus in eum applicari, & aliqua veritatis specie de ipso prædicari possent. In eam propendere videtur sententiam Gussetius (*i*) פְּצִילִים five sculptilia, quorum in numerum merito refertur vitulus hicce aureus, partim ex auro partim ex ligno composita esse existimans. Cum nimirum Deut. VII. 5, 25. הַנָּשׁ adhibeatur ad destruenda פְּסִילִים, & נַעֲזֵב ad excidendos lucos five פְּשִׁוּחִים; capite autem XII: 3. permittentur verba destructoria, ita ut הַנָּשׁ usur- petur

petur de lucis & γάνα de sculptilibus: inde colligit, prout jam dictum est, sculptilia fuisse composita ex auro & ligno. Hujusmodi metallis incrustatorum idolorum mentionem fieri ostendit Esaj. XL : 20. Hæc autem sententia nullo solido nititur fundamento, nam præterquam quod γάνα non tantum significat excisionem corporum molliorum, utpote arborum, & quæ sunt plura ejusmodi; verum etiam fractionem duriorum atque rigidiorum, (k) præterea etiam in locis, ad quæ provocat Gussetius, non agitur nisi de sculptilibus Cananæorum, quæ si etiam ex auro & ligno composita fuisse quam maxime concederemus, nihil valerent ad idem credendum aut probandum de vitulo Istraëlitarum. Hujus sententiae infirmitas etiam exinde patescere potest, quod Codex Sacer, cuius veritate heic unice standum est, ne hilum quidem commemoret de tali compositione, sed simpliciter tantum dicat, ex inauribus, quæ omnino ex purissimo constabant auro, confectum fuisse. Quid igitur opus compositionem heic somniare, cum aliae meliores convenientioresque difficultatem hanc solvendi suppetant rationes. Vocatur porro vitulus חַדְבָּה, h. e. opus quoddam fusile & conflatile, אֲלֹנָה fudit, quod in purum aurum optime quadrat, de compositione autem ejus cum ligno nullo modo enunciari potest. Dicitur etiam sæpe nominatus vitulus elaboratus fuisse stylo sculptorio, quod itidem in opus ex fuso auro confectum, & deinde sculptoris stylo exornatum optime congruit. Pluribus argumentis adstruere conatur Bochartus (l), vitulum stylo non fuisse exornatum;

verum aliter verba textus hoc loco esse transferenda: quod videlicet colligaverit Aaron aurum in manus. Quamvis autem etiam hanc significationem interdum sibi adjunctam habeant verba זְה וְתָרַח (m): attamen nihil obstat, quo minus in priori queamus manere significatione. Hanc sententiam quoque amplexi sunt LXX Interpretes, Onkelos, Kimchius, Arias Montanus, Pagninus, Lutherus in sua versione germanica, ut & interpres Suecus. Bocharti sententiam & argumenta recenset, eademque refellere adgreditur Clericus (n), ostendens, qua ratione difficultates, quibus hanc sententiam laborare statuit Bochartus, tolli, & quomodo stylo sculpendi notio cum textu & re ipsa amice conciliari possint. Denique compositionis expertem fuisse vitulum probari potest exinde, quod tantam auri copiam collegerit Aaron. Quorsum vero illa opus fuisse, si tantum anterior pars tive superficies vituli auro exornata fuisse. Patet enim ex versu 3 totum populum, jussu Aaronis, abrupisse ex auribus suas inaures, & versu 4 Aaronem eas e manibus ipsorum recepisse; nullibi autem dicitur, ipsum hisce inauribus ad aliud quid, praeter vituli formationem, usum fuisse. Credibile etiam est, ex tanta hominum multitudine, tantum auri confluxisse, ut nulla ligni mixtura ad vitulum conficiendum opus esset. Si demum vel quam maxime concederetur hujusmodi compositio; nihil tamen hinc ad ipsam difficultatem solvendam redundaret emolumenti, neque, re rite perpensa, ullo modo expediri posset quæstio: quomodo ipsum aurum comburi atque in pulverem redigi

digi eo quiverit modo, ut verborum textualium propria ac fixa significatio retineri possit. Non enim aurum, licet cum ligno in ignem conjectum fuisset, hoc ipso tale reddi potuit, ut moli, aquæque dein innatare, vel cum eadem misceri posset, quod verba חַיִל פְּנֵי עַל ipsaque hujus negotii intentio innuere videtur. Nulla sane appetet ratio, quomodo istud pondere suo defraudari, atque aqua specifice levius fieri potuerit, quamvis, ut modo dictum, talis admittatur compositio. Videmus igitur hanc sententiam, utcunque illa primo videatur plausibilis, admodum infirmo superstructam esse fundamento.

(i) In suo Commentario Lingua Hebrewæ.

(k) Conf. Stockii Cl. L. S. V. T.

(l) In Hieroz. P. I. L. II. C. 34. (m) 2. Reg. v. 23.

(n) In suo Commentario in Exod. XXXII.

§. V.

EVita sic, ut speramus, hujus hypotheseos infirmitate, alia semet nobis discutiendam offert sententia. Consistit autem illa in eo, quod statuatur aurum igne in massam rudem ac informen fusum, deindeque lima in pulverem attritum fuisse. Hæc, cum admodum sit simplex, & ad ipsum nodum solvendum non videatur prorsus esse inepta, plures naœta est sat illustres patronos ac sequaces. Inter illos nominari meretur Carpzovius, ita suam hac de re apriens mentem: „potius censendum, Mosen vitulum „istum in ignem projectum, in rudem informemque rede „gisse

„ gisse auri massam , quod textus comburendi voce
 „ notat , cum revera vitulus aureus abolitus sit igne ,
 „ & vitulus esse desierit : hanc porro massam au-
 „ ream illum elimsse , & in tenuissimam attrivisse
 „ scobem . Artem aurum sic eliminandi , Hebræos non
 „ fugisse , ex Josepho appetet , qui Antiquit : L . VIII .
 „ c . II . Salomonis equites memorat ψῆμα χρυσία , scobem
 „ auream , quotidie capillis suis inspersisse , ut solis re-
 „ percussu illuminati splenderent . Quomodo Tre-
 „ bellius Gallienum crinibus suis auri scobem asper-
 „ fissé , & Spartianus , Commodum Imperatorem ca-
 „ pillo semper fucato & illuminato fuisse , tradit . Ea-
 „ dem arte Mosen vitulum attrivisse , & in sco-
 „ bem contudisse , Chaldæus & Syrus interpretes
 „ exponunt (o) . Eundem fere in modum loqui-
 „ tur Patrickius : ist es , inquit , nicht weit natutlicher
 „ zu glauben , er habe den gold klumpen so lange fei-
 „ len lassen , bis ein feiner staub daraus geworden
 „ wäre , dergleichen die alten aus demselben
 „ machten , um entweder sich selbst , oder die mäh-
 „ nen ihrer Pferde zu pudern , da mit sie in der son-
 „ ne desto stärckern glantz von sich geben mögten (p) .
 „ Strenue pro hac sententia quoque militat Bochar-
 „ tus : quamvis , ait , auri materia igne non perierit ,
 „ forma tamen & species abolita , ut haberit hoc pos-
 „ sit pro vera combustione ; ab hoc loquendi genere
 „ Romani non abhorrebant , quod ustrinari vocabant
 „ ubi metalla comitantur . „ Alteri momento , de ipsa
 „ nimirum communicatione facile satisfieri afferit , „ si
 „ sequamur Syrum Interpretem , Chaldæum Arabem-
 que

que, ex quorum mente Moses lima aurum ,
elimavit & in tenuissimam scobem attrivit. „
Ars aurum sic elimandi fuit Hebræis no- „
ta, ut ex Josepho appareat. Ideo autem voce mo- „
litionis hoc exprimi autumat, quod scobs illa fue- „
rit similis farinæ in mortario vel mola contusæ (q).
Eandem cum Bocharto tibiam inflat quoque Rive- „
tus. Utcunque autem concinna atque speciosa hæc
ipsa videantur, magnamque, saltim majorem prio- „
ri illa sententia, præ se ferant veritatis speciem;
interim tamen rei naturam, argumentaque, quibus
hæc nititur hypothesis, æqua judicij lance ponde- „
ranti patebit, neque hanc satis firmo stare talo. Si
enim, qua par est reverentia, oculos atque animum
advertere placuerit ad ipsum fontem originalem,
verbaque, quibus ibi processus in destruendo vi- „
tulo indigitatur; oppido constabit, significationem
fundendi, quemadmodum §. II. indicavimus, non
quadrare in verbum ην, nulloque de eo dici posse
modo: verum aliud ad id exprimendum in lingua
Hebræa adesse verbum. Quis itaque non videt in- „
jurium atque impium esse in Sacras Literas, verbis
talem tribuere significatum, quamvis etiam res id ali- „
quando admittere possit, quæ toto cœlo ab usu bibli- „
co & proprietate ipsius vocis abhorret. Idem, quod
jam dictum est de priori momento, tenendum quoque
est de altero, qua ratione videlicet vitulus aureus in
pulverem comminutus fuerit. Ad fulciendam suam
sententiam verbo ην elimandi notionem imponunt.
Unde autem hoc probant? Si id solidis facere possent

argumentis, vietas lubentes daremus manus. Quum autem nulla ratione id ipsum adstruere possint, neque nos ullo modo eo adduci possumus, ut huic sententiæ nostrum adjiciamus calculum. Concessa ejusmodi libertate pro arbitrio fingendi notiones ac significaciones vocum, & a proprio ac fixo earum significatu, sine urgente necessitate, recedendi, miserum in modum vacillaret sensus Sacrae Scripturæ, adversariisque ad caluminias & quævis convitia in illam evomenda, latissima aperiretur via. Quod attinet Josephi testimonium, quod pro stabilienda sua opinione adducunt, id ipsum admodum exigui esse momenti, facile est perspectu. Non enim inde, quod Salomonis tempore aurum tali modo fuerit in tenuem scobem elmatum, inde, inquam, non sequitur, eandem artem, Mosis tempore, plura ante secula, fuisse cognitam & usitatam. Quodsi autem etiam tunc temporis notum fuissest hoc artificium; ne minimum tamen adeat vestigium, ex quo colligi possit, Mosen eodem fuisse usum: cum ipse Textus Originalis plane aliud suadeat & inculcat. Porro, quod concernit versiones, quas in suas derivant partes, Arabicam, Chaldaicam atque Syriacam, non satis verum est, neque ad liquidum perductum, eas illud probare, ad quod probandum adducuntur. וְשָׁב enim in lingua Chaldaica significat comminuere atque contundere: & hoc loco eodem sensu accipi voluisse Onkelosum e collatione Deut. IX. v. 21. patescit. Ibi namque ita Chaldæus; וְcommiuui eum in pillo vehementer.

וְשָׁב

וְשָׁפֵת יְתָה בְּשָׁפֵת אֹתָה adeoque **שׁ** per **שׁ** comminuere, contundere, exponit. Neque adhuc evictum h. l. Chaldæis & Syris limam, ut volunt, denotare: quin potuis instrumentum, quo quid complanatur & contunditur. Arabis **בָּרָדָה**, quamvis *limandi* notionem admittat, etiam *contundendi* significatum eidem competere, & *ictibus macerandi*, usus linguæ Arabicæ probat (r). Neque præterea Chaldæi, Syri & Arabis suffragium tanti esset valoris, ut verborum intextu authentico fixus significatus propterea turbetur. Ridiculum enim foret, ipsos fontes ad versiones examinare, & exinde de eorum sensu judicium ferre. Patet igitur hoc argumentum sua sponte corruere. Quod denique attinet, ad quod inter alia provocat Bochartus, Romanorum loquendi genus, dum nimirum ustrinam vocaverint, ubi metalla conflantur, quisque videt, hoc argumentum non valere, ut hæc adoptari possit sententia. Potuit enim hujus denominationis alia esse ratio, quam ut ex conflatione metallorum unice petita fuerit. Utcunque demum hæc omnia se habeant, sufficit nobis proprietatem verborum **שְׁרַט** & **לִטְנָה** fusionem atque eliminationem nullo modo admittere ac tolerare (s). Ponamus autem, aurum fusum & lima in pulverem comminutum fuisse; remanet tamen nihilominus heic magna difficultas & inconvenientia. Quid enim opus fuit fundere aurum, dum lima in pulverem redactum fuit? Frustra hoc factum fuisse quisque intelligit, si modo consideraverit, aurum fusione suam nullatenus amittere

re naturam, neque eliminationi fieri aptius, ac ante fusionem fuerat. Hæc igitur sententia stoliditatis Mosen arguit, id eum fecisse urgens, quod fini suo obtinendo nihil conferret. Quis non videt hæc cuncta magnam redolere proterviam atque impietatem? Porro, admissa hac sententia, maxima quoque se oblatura esset difficultas in explicando modo, quo pulvis ille eliminando confectus, aquæ supernatare, vel cum eadem misceri potuerit, quod, ceu supra dictum, Textus sacer requirit ac indigitat. Hæc ipsa scobs, cum verissimum nihilo minus remanserit aurum, aqua necessario fuisset specifice gravior, adeoque fundum petiisset. Manifestum itaque est, neque hanc sententiam ejus esse indolis, tamque firmis superstructam argumentis, ut illi assensum præbere possimus, Mosenque tali artificio usum fuisse credamus.

(o) In suis annot. ad Goadv. Mos. & Aar. p. 504, 505.

(p) In vers. comment. Anglorum Telleri ad Exod. XXXII.

v. 20.

(q) Hieroz. P. I. L. II. C. 34.

(r) Giggej. Lex. Arab. T. I.

(s) Cf. Clerici Comment. in Exod. XXXII. v. 20.

§. 6.

Missa ulteriori sententiarum de vitulo aureo com-
burendo, potabilique redendo, discussione,
propius ad ipsam rem est accedendum, atque dispi-
ciendum, num aliqua præter opiniones, quas ad-
duximus, & ob rationes simul adjectas adoptare
non petuimus, hanc difficultatem solvendi suppetat
via.

via. Notum est, aurum vi ignis, certis artificiis, in vitrum posse commutari. Fit autem hoc speculo uestorio, præstitisque illud, ineunte hoc Seculo, Hombergius, in Regia Academia Scientiarum Parisiensi. Cum nimirum aurum collocatur in'foco radiorum solarium, per speculum ejusmodi conspissatorum, redigitur partim in fumum partim in vitrum. Ita sonant verba in Actis Academiacæ modo nominatae (1): L'or, un peu eloigné de l' endroit précis du foyer fume beaucoup d' abord, & presque aussi tôt il s' en change une bonne partie en verre violet foncé, & si l' on veut, tout ce qui ne se fera pas exhalé en fumée, se vitrifiera, le verre de l' or pese moins que l' or. Hoc artificio quin usus fuerit Moses in destruendo vitulo, illudque etiam cum textu possit conciliari, nil gravioris caussæ video. Dum enim aurum igne solari destruitur, & partim in fumum, partim in vitrum commutatur, quid obstat, quo minus hoc pro vera combustione haberi possit, & notio, quam in superioribus verbo ἡγετησάμενοι tribueramus, eidem in hoc casu satis apte competere? Nam eadem ratione etiam lignum, sive quodcunque fuerit igni sustentando per se idoneum, comburi dicitur, dum pristinam suam essentiam mutare cogitur, & in fumum ac cinerem redigitur. Vitrum autem cum esse soleat fragile, facile apparet, illud molitionem & contusionem in pulverem non respuere, atque sic verbum ἡγετησάμενοι non inconvenienter de eo dici posse. Cumque vitrum illud sit admodum leve, pulverem ejus facile aquæ innatare, vel cum

illa misceri, non est, ut multum dubitemus. Heic autem fortassis obverti potest, specula tunc temporis non adhuc extitisse. Verum hæc res minus, quam vulgo existimatur, habet momenti; neque est, ut novum & ab omni veritate alienum cui videatur, si Mosen tali artificio usum fuisse assereretur. Speculorum enim ætatem Mosis tempora antevertere, saltim eadem attingere, videri potest ex Exodi XXXVIII: 8. ubi Bezaleelem speculis ad labrum æneum conficiendum usum fuisse animadvertisimus. Docent etiam scriptores profani ex variis metallorum generibus antiquitus confecta fuisse specula. Ita passim apud illos mentio fit speculorum aureorum (*u*), argenteorum (*x*), æneorum (*y*), stanneorum (*z*) & quæ sunt plura. Sic quoque Archimedem Syracusanum Seculo III. ante Christum, speculis causticis usum fuisse testantur nonnulli (*aa*). Et ad hujus exemplum, Proclus classem Vitaliani Thracis, Tyrannidem adversus Anastasium adfectantis, ope speculorum, ex ære fabricatorum, incendisse perhibetur (*bb*). Videmus igitur, specula non inter recentiora, sed antiquissima inventa esse referenda.

(*t*) Hist. de l' Acad. des Sciences A. 1702. p. 47.

(*u*) Sen. Nat. Qu. L. I. c. 18. Potente jam rerum luxuria, specula totis paria corporibus auro argentoque coelata sunt.

(*x*) Plin. hist. L. XXXIII. C. 4. Laminas duci, & specula fieri non nisi ex optimo argento creditum est.

(*y*) Arist. de Somn. C. 2.

(*z*) Plin. hist. L. XXXIV. c. 17. specula quoque ex eo (stanno) laudatissima - - - - donec argenteis uti co-

pere & ancillæ, cf. Dougtæi Analecta Sacra ad Exod.
XXXVIII.

(aa) Joh. Tzetzes chil. 2. v. 119. Zonaras T. I. p. 424.

(bb) Zonaras Annal L.XIV. p. 15. Cf. Fabr. Bibl. Gr. T. VIII. p. 462.

§. VII.

Hec hypothesis, quamvis sane non omni destituatur veritatis specie, laborat tamen suis etiam difficultatibus. Quare illam suo relinquimus loco, neque ob rationes, quas modo pro illa adstruenda protulimus, eo nos adduci patimur, ut Mosen tali artificio usum fuisse indubie affirmemus. Verum succurrit nobis hoc loco alias, isque simplicior modus, simulque ejusmodi effectui in auro producendo sufficiens, qualem indeoles Textus originalis, cuius pura simplicitas nobis reverenter cordi esse debet, requirit. Aurum, cum istiusmodi sit naturæ, ut simpliciter sive remotis materiis peregrinis in igne tractatum, nullam talem patiatur alterationem ac destructionem, quæ veræ cumbustionis nomine venire queat; patet, si eventus, qui hoc loco requiritur, in illo exspectari debeat, illud ipsum simul cum alia quadam materia, ignis violentiæ esse subjiciendum. Varias varii hac in re ingressi sunt vias; hinc diversi etiam fecuti sunt eventus. His autem singulis recensendis, atque examinandis, in quantam cum Textu conciliari possint, sive minus, operæ pretium non est immorari. Optime procedit hoc negotium ope salis & sulphuris; dum nimirum Aurum simul cum his, sive hepate sulphuris, in ignem conjicitur, dissolvitur in ipso, imbibitque

sulphur adeo intime ipsum aurum, ut illud secum connexum habeat ac retineat. Hoc aurum destruendi modo usus est Stahlius (cc). Mosenque eodem usum fuisse, nihil impedit, quo minus salva veritate asserere queamus.

(cc) Obs. Chym. Med. Phys. Mens. Apr.

§. VIII.

Tanto autem libertius majoriq. jure hoc possumus dicere, quod multæ adsint rationes hanc rem maxime probabilem reddentes. Primo quidem textui originali esse conforme, si salis ac sulphuris ope Mosen vitulum combustissimum dicatur, neminem negaturum speramus. Tum enim aurum revera destructum atque combustum esse dicendum est, dum aliis corporibus admixtum suam exuit puritatem eximiam, suum nitorem, pondus, & quæ sunt plures genuinæ ejus proprietates. Hepar autem hoc auriferum, quemadmodum se expertum testatur modo nominatus Stahlius, facile ita disponi potest, ut in pulverem tenuissimum redigatur; qui que pulvis aquæ supernatet, sive etiam in ea turbide fluet, adeo ut cum ipsa prompte ebibi queat. Facile sic unicuique est perspectu, hoc artificium cum textu verbisque Ιων & Ιων posse conciliari. Deinde robur huic sententia addunt versiones plurimæ, tam antiquiores, quam recentiores: utpote Chaldaica, LXX viralis, Vulgata, in limine tractatiunculae jam allatae, versio Samaritana, Svecana, Fennica pluresque aliæ. Harum omnium circa locum hunc per combustionem transferendum siccavisi consensus a simplicitate textus vetat recedere. Mirum igitur, quod nonnulli liquefacien-

faciendo ac eliminando vitulum in pulverem fuisse redatum statuant, nixi hac in re imprimis calculo atque autoritate versionis Syriacæ atque Arabicæ, quas tamen cum ipsis facere pro certo neutquam habendum esse supra ostendimus. Præterquam quod versiones, a fontibus recedentes, tantum non debeant valere, ut ob ipsas, a textus originalis genuina significatione liceat recedere. Imprimis autem Mosen sale & sulphure fuisse usum, maxime est credibile, ob summam, quæ in hoc artificio adest, simplicitatem; tres enim salis, & totidem sive duæ sulphuris ad unam auri partem sufficient. Ambo hæc, sal & sulphur, reperiri in locis istis ad montem Sinaiticum sitis, adeoque facile fuisse Mosi ad manus, referunt illi, qui ad hæc loca itinera instituerunt. Nec mirum in desertis haberí, quæ terræ sterilitatem inducere constat e Deut. c. XXIX: 23, ubi sale & sulphure adurenda prædictitur terra. Cum vero salis usum in sacrificiis Israëlitis injunxerit Deus Lev. II: 2. quin paratu facilis fuerit ibidem, dubitari nequit. Quod si ad ipsum montem Sinai ponamus non suppetere salis sulphurisque copiam; quo minus e vicinia acquiri potuerit, nil gravioris caussæ subesse videmus. Non procul erat Iacus Asphaltites & tractus eidem adjacens, cuius bitumen sal & sulphur continere obseruant naturæ curiosi. Potuerant igitur inde, vel ab aliis viciniis, harumque rerum copia instruetis, facilis negotio accipi, si in illo præcise loco non fuissent. Hoc autem eo magis veri sit simile, quo certius constat, Israëlitas, in deserto constitutos, a populis adjacentibus, filiis e. gr. Esavi, argento res necessarias comparasse Deut. II: 28: 29. Qui vero ad miraculum

heic recurrunt, justo latiores miraculis adscribunt fines, taliaque dicunt, qualia, salva manente miraculi natura, dicere non convenit.

§. IX.

Postquam sic, qua fieri potuit brevitate, pro virium modulo, delineare conati sumus modum, quo vitulum aureum destruxerit, potabilemque reddiderit Moses, non abs re fore arbitramur, si, antequam opellæ finem imponamus, caussam, quare hoc ipsum factum fuerit, paucis attingamus. Hoc in negotio tanto nobis licet esse brevioribus, quod hoc momentum a compluribus sit tractatum & sub incudem revocatum. Palmarias in medium proferemus sententias, quæque ex illis adoptatu sit dignissima, paucis videbimus. Judæi, quemadmodum in caussis rerum investigandis admodum sunt curiosi, ita etiam circa hanc rem sua exercuerunt ingenia, suamque in fingendo solerteriam ostendere non intermisserunt. Pierique eorum ideo hoc factum fuisse existimant, ut illi, qui scelere erant contaminati, discerni possent; non aliter, ac adulteræ aquæ maledictæ potu probabantur, sive, quænam fuerit rea, dignoscebatur. Ita hac de re loquitur R. Jonathan in Paraphrasi: „& potavit filios Israëlis, & quisquis ibi dederat vas quoddam aureum, in ejus ore si gnum apparebat. Eandem fere sententiam foverent R. Salomo & Aben Efra. Moncejus criminis obnoxios, quam primum aquam biberant, lepra pravisque ulceribus putat fuisse inquinatos. Nauclerus

clerus hac suam sententiam aperit ratione: „ re-
„ mansit color auri circa ora nocentium, ut di-
„ scerni possent ab innocentibus. Hæc autem, ut
cunque videantur præclara, & insignem spirare
ingenii aciem; accuratius tamen considerata, & ad
ipsam rei indolem examinata, satis firmo non stant
talo, neque sufficiunt huic rei ex asse exhaustien-
dæ. Minus enim necessaria fuit ejusmodi nota
sceleris obnoxios indicans; nam universum popu-
lum peccato & crimine fuisse pollutum constat ex
versu tertio. Voces namque כָל הָעֵם nullam aliam
admittunt interpretationem. Præterquam quod
contextus historiæque series etiam idem svadeat
ac demonstret. Si vero talis obtinuisse nota chara-
cteristica, debuit hoc ipsum fieri per miraculum.
Cur autem Scriptura id reticuerit, nulla facile ad-
ferri potest ratio; sunt enim circumstantiæ mino-
ris momenti in hac historia literis consignatæ. Por-
ro, admissa hæc hypothesi, miracula præter neces-
sitatem multiplicarentur, dum tali miraculose con-
spicuo signo, tota plebe scelere polluta, non erat
opus. (dd) Magis igitur veritati consentanea est
Johannis Clerici sententia: Mosen nimirum ita vo-
luisse destruere vitulum aureum, nullum ut ipsius
remaneret vestigium, nec qua materiam neque quo-
ad formam: simulque etiam voluisse ipsis ob ocu-
los ponere, quam contemnendum ipsorum erat nu-
men, & ad ipsis in promissam terram præceden-
dum infirmum, quoniam idem bibere & absorbe-
re poterant; utque sic perspecta ejus vanitate, ido-
latria

lolatriam angue pejus aversarentur. Quemadmodum Ægyptii non potuerunt majorem idololatriæ suæ contemptum significare, quam si animalia, quæ adorabant, mactassent & comedissent, ita Israëlitæ, cum aurum comedere non possent, aquas ejus pulvere aspersas biberunt, ut cultus quem præstabant, fœditatem perspicere ac damnare possent. Hanc igitur veram esse caussam, quare Moses vitulum combusserit, populoque potandum dederit, unumquemque concessurum esse certo certius nobis persuademus.

(ad) Gonf. Boch. Hier. P. I. L. II. Cap. 14.

§. X.

Sic quidem ad finem perductum est qualecunque nostrum opusculum, eaque, quæ in limine promissimus, leviter tacta. Leviter dico: non enim tanto cum acumine, tantoque verborum apparatu circa nobilissimam materiam versari sumus, quantum illa summo jure postulasset atque exegisset. Quare etiam non multum abest, ut suscepisti in re præsenti poeniteat laboris. Dum autem circa arduam hanc materiam vires nostras pericitari voluimus, nulla alia id fecimus intentione, quam ut firmum sisteremus proprium fixumque verborum Textus Sacri significatum, nullamque ab illo recedendi adesse rationem ostenderemus. Proinde unus quisque, cui viles has cogitationes legere volupe fuerit, sciat, rogamus, nos nec ingenii fœcunditatem, quæ nulla est, ostentandi studio, neque novaturiendi pruritu, a sententiis virorum de re literia immortaliter meritorum discessisse, verum ob fonticas & gravissimas caussas ad id ipsum fuisse adductos. Sed manum de Tabula,

